









1728.

1. Cramerus, Iacobus Georgius : De delictis et paenit  
statuum imperii Romano-Germanici.
2. Cramerus, Iacobus Georgius : De natura et iure delictorum  
et paenitentiarum in causa statuum imperii Romano-Germanici
- 3<sup>rd</sup> Hincius, Jo. Grol : De mercatorum, qui foro cense-  
runt, rationibus et cibis.
4. Hoffmannus, Christianus Gorpetus : De significacione  
et usu particulari queri in jure Romano.
5. Polac, Johann Friederich : De auctoritate incongrua fava  
et obliuione ac odiosorum interpretatione
6. Trier, Johann Wolfgang : De variis modis coereundis  
calumniatores.

1729.

- 1<sup>st</sup> Hoffmannus, Christianus Gorpetus : De coemeteriis  
ex urbibus. Toletensis

1729.

2. Trier. Johannes Wolfgangus : De judeis captiisso





*J. 2. minuti 4. fol. 47.*

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> IN<sup>A</sup>UG<sup>R</sup>ALIS JURIDICA  
DE  
**SIGNIFICATIONE**  
**ET USU PARTICULÆ**  
**QVASI IN JURE**  
**ROMANO,** 1728, 4

*P. 14*  
QUAM  
PRÆSIDE  
**CHRISTIANO GODOFREDO**  
**HOFFMANNO,**

POTENTISS. BORUSS. REGIS CONSIL. INTIMO,  
ET FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIO

*h. t. DECANO,*

IN AUDITORIO F<sup>E</sup>CTORUM  
d. XI. Dec. M DCC XXVIII.

PRO

LICENTIA SUMMOS IN UTROq; JURE HONORES  
ADIPISCENDI

Publico Eruditorum Examini

H. L. Q. C.

exponit

AUTOR

**JOHANNES HÜBNERUS,**

Merseburgensis.



Francofurti ad Viadrum, Literis TOBLÆ Schwartz.



VIRIS

MAGNIFICIS, PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,  
CONSUL TISSIMIS AC PRUDENTISSIMIS

ILLUSTRIS AC LIBERÆ

S. ROM. IMP. REIPUBL. HAMBURGENSIS

DOMINIS  
CONSULIBUS,  
SYNDICIS,  
SENATORIBUS,  
PROTO-NOTARIO,  
SECRETARIIS &  
ARCHIVARIO,

PATRIBUS PATRIÆ OPTIMIS,  
DOMINIS, MÆCENATIBUS, PATRONIS  
AC PROMOTORIBUS SUIS

omni  
studio, cultu & obsequio  
colendis.

Præsentem Dissertationem Inauguralem  
devota mente

D. D. D.

D. T. O. M.

Simul enixe veneratus

ut

**ILUSTRES PATRES  
CONSCRIPTOS**

Finem Anni decurrentis feliciter  
facere

Novumque Annum faustissime  
auspicari jubeat

EORUMQUE

Pietate

Vigilantia

Prudentia

**REMPUBLICAM HAMBUR-  
GENSEM**

Salvam florentemque  
servare velit

JOH. HÜBNERUS.



## CAPUT I.

De

### DIVERSIS PARTICULÆ QVASI SIGNIFICATIONIBUS. GENERALITER.

§. I.

**S**erilem Dissertationis materiam elegis-  
se multis videbimus, in exectienda par-  
ticulæ significatione occupati, quam ex <sup>Veterum-</sup>  
quotidiano usu satis constare non pauci <sup>3Ctorum</sup>  
fibi persuadebunt. Sed hos non mora-  
mur. Eos judices postulamus, qui no-  
verunt, quam arduum veterum Jurisconsultorum Ro-  
manorum studium in exquirendis verborum origini-  
bus ac rationibus fuerit, de quo plura concessit MERILL.  
*Observat. L. I. p. 44. & Dn. PRÆSES differt. de investigandis  
verborum in jure significationibus.* Descendebant ad filla-  
barum etiam distinctiones, conjunctionum & præpo-  
sitionum proprietates, teste SENECA epistola 88. cuius  
studii passim in Juris nostri voluminibus occurunt ex-  
empla. De significatu particulæ palam ULP. Lib. xx.  
ad Edictum L. 33. vocularum penes te & apud te lib. LXXI.  
ad Edictum L. 63. vocabuli recte lib. LXXX. ad Edictum  
L. 71. §. I. PAULUS de sensu verbi amplius lib. XIV. ad  
Plautium l. 82. de V. S. differuerunt. Inter recentiores  
vero, præter illos, qui Lexica Juris scripsierunt, singu-  
larem

A

2 CAP. I. DE DIVERSIS PARTICULÆ QUASI

larem operari explicandis particulis impedit imprimis JOHANNES STRAUCHIUS in *Lexico Particularum Juris*, quod uti in titulo operis promisit, in usum imprimis *praxi iuridicæ operantium* compilavit egregio testimonio, illos falli, qui de verbis & particulis disquisitiones ad nugas, aut ad meras theorethicas meditationes referre malunt.

§. II.

*Cur jam de  
particula  
Quasi a-  
gatur.*

Plura dicere ad commendandum dissertationis argumentum vix attinet. Insignis, imo prorsus singulareis particulæ *Quasi* in Jure Romano est usus. Nam, præter naturalem hujus verbi significationem, eam imprimis ad supplendos hiatus, qui compagem Juris-prudentiæ admodum deformabant, adhibuerunt Romanii Juris interpretes. Operæ igitur pretium nos facturos esse credimus, si de vera vocabuli hujus significatione, simul autem illius significationis origine & genuinis rationibus solliciti simus, in quo tamen instituto ita nobis versandum erit, ne ubertati materiae nimium indulgentes dissertationis academicæ terminos egressi videamur.

§. III.

*Significatio  
kjus par-  
ticula.*

*Prima.*

*Secunda.*

Primo quidem hoc adverbium nativam sæpius retinuit significationem, quæ similitudinem aliquam inuit & diversarum rerum comparationi inservit. Ita in l. 44 ff. de evictiōn. gubernacula, malus, antennæ, velum, navis *quasi* membra esse dicuntur. Sæpius hæc particula ipsius personæ, rei vel negotii qualitatem ac conditionem demonstrat. Hac ratione in l. 6. ff. quod cuiuscunq; universum. *Quasi DECURIO* dicitur, qui tanquam Decurio suffragium tulit, non *quasi domestica persona* i. e. tanquam paterfa-

paterfamilias, & in l. 8. ff. de contrabenda emtione, is qui captum piscium vel avium vel missilium emit, *quasi a-team* emisse perhibetur, quum ex ipsa negotii natura pateat, hanc venditionem sine re certa factam, emtionem spei esse: id enim actum intelligitur. Eundem in sensum Lex 31. §. 27. de donatione inter vir. & ux. *QUASI MARITUM* appellat, qui sponsam immaturam contra leges in domum deduxerat L. 9. de Spons. quum uxorem esse putarer, quam duxerat. Similiter l. 13. ff. §. 8. de action. emti & vend. legimus rem venditam, *quasi pignus* a venditore retineri posse, si emtor non integrum offerat, pretium, conf. l. 34. ff. de damno infecto.

## §. IV.

Tertio haec particula non adhibetur, ut præcedentis sermonis rationem decidendi ostendat. Ita, PAULUS L. 33. ff. de Obl. & Act. docet, in heredes pœnae persecucionem transmissam videri, si vivus conventus fuerit antecessor: addit rationem: *quasi lite contestata cum mortuo*. Eadem particula utitur ULPIANUS in L. 5. §. 12. de bis qui effuderint vel dejecerint. Si id, inquit, quod positum erat, deciderit & nocuerit, in eum competit actio, qui posuit, non in eum, qui habitaverit: Quasi hec actio non sufficiat, quia positum habuisse non utique videtur, qui posuit, nisi vel dominus fuit adiun vel inhabitator. Imo PAPINIANUS in L. 47. ff. de fidejussibus pro debitore, cui deportatio irrogata est, fidejussorem non posse accipi ex sententia Juliani refert, addita ratione, *quasi tota obligatio contra eum extincta sit*. Alias hujus vocis significations, quæ ex vulgari usu patent, silentio præterimus, solliciti potius de illis, quas frequentiores in Jure nostro occurrere observamus. *Quarto enim hoc* Quartæ.

A 2

voca-

4 CAP. I. DE DIVERSIS PARTICULÆ QUASI

vocabulum indicat *fictionem* aliquam sive *falsitatem* manifestam, quæ in facto hominis deprehenditur. Ita, falsus tutor, qui se pro tute gerit, seque tutorem esse fingit appellatur *L. i. S. 1. de eo qui pro tute probe curatore negotia gessit.* **QUASI TUTOR.** Qualis fictio quoque deprehenditur in contractibus imaginariis *L. 54. ff de Oblig. & Act.*

*Triplex*

*singulare  
Particula  
in Jure Ro-  
mano.*

§. V.

Sed mittimus has particulae præsentis significati-  
us usus hujus ones, quæ nihil difficultatis habent. Aliæ sunt produ-  
cendæ, quæ prolixiorum usum in Jure Romano pro-  
dunt & quæ ad cogitationes magis arduas nos impel-  
lunt. Circumspicientes autem & ruminantes diver-  
sum adverbii nostri sensum, dicenda redigi posse ad  
tria capita deprehendimus. *Primo* enim hoc vocabulo  
usi sunt saepius veteres Juris Romani conditores, si  
placeret rei cum re comparationem instituere, quo  
casu observata nonnunquam vix levi aliqua conveni-  
entia haut dubitabant, utramque rem particula præ-  
senti componere. *Secundò* inservit nonnunquam hæc  
particula supplendæ Jurisprudentiæ Romanae, quæ pri-  
mis temporibus arctiores tenebat limites, & pauciorib-  
us iisque generalioribus inclusa erat principiis, quæ  
quum dilatanda essent, verebantur, novorum negoti-  
orum novas rationes querere, potius huic defectui oc-  
currere tentabant, applicando prima illa & aliis nego-  
tiis quæsita principia novis illis & diversis rebus, per-  
suasi, ad tollendas difficultates sufficere, si particula  
*Quasi* adderetur, quod ex communi doctrina de *quasi*,  
contractibus & *quasi* delictis, ni fallimur abunde patet.  
*Tertiò* particula hæc solennis fuit fictionibus, quæ fre-  
quentis-

quentissimæ sunt in Jure Romano, quæ quod minimè erat esse fingeant, & quasi revera esset, dicebant. Quis ex præmissis non viderit insignem voculæ hujus vim atque potestatem? Videbunt jam, qui inspecto titulo, de dicendi materia desperarunt, nobis curæ esse, ut per indicem ea modo recenseamus, quæ hic uberioris recenseri possent. Nam & in omnem juris prudentiam se hæc diffundit tractatio; nobis autem hoc loco sufficiat, cujusvis significationis veram naturam exposuisse & exempla quædam ex Jure nostro addidisse. De omnibus igitur singulatim.

## CAPUT II.

De

USU PARTICULÆ QUASI IN COMPARA-  
TIONE DIVERSARUM RERUM.

§. I.

Sæpius cum in physicis tum in moralibus observa- *In quoniam propriæ consitit si-*  
mus, res diversas inter se convenire & similitudi- *nem aliquam continere. Consistit autem simili-*  
tudo in eo, ut res aliqua habeat affectiones & qualitates, *militudo.*  
quæ in altera quoque reperiuntur. Qualitates rei vel  
sunt essentiales vel accidentales. Si essentiales fint,  
quibus res altera alteri respondeat, non nuda est simi-  
litude, quæ inter res illas intercedit, sed arctior quæ-  
dam inter illas relatio existit, qua non raro tanquam  
species distinguntur, vel pene pro iisdem haberi pos-  
sunt, ad minimum exempli instar considerari debent.  
Si vero in accidentalibus ad se invicem accedant, simi-  
litudinem aliquam referunt, quæ fundamento est, si de

A 2

utrius-

## 6 CAP. II. DE USU PARTICULÆ QUASI

utriusque rei convenientia judicium ferri debeat. Sed hanc differentiam non semper attendere solemus: Hinc duo oriri solent incommoda, quæ etiam Juris nostri disciplinam vexant, quorum *primum* est, ut res, quæ in principiis & essentialibus prædicatis plene conspirant, se modo aliqua similitudine tangere credamus; *alterum*, ut res, quæ tantum aliquam speciem convenientiae habent, pro iisdem reputemus, & fine discri-mine diversis una eademque principia applicemus.

## §. II.

*Uſus regulae: ſimili-um idem eft judici-um.*

Frequens apud Pragmaticos & solennis est for-mula: **SIMILIUM IDEM EST JUDICIUM** Cap. 4. X. de re-script. cap. 2. de translat. Epis. v. EVERHARD. in locis com-mun. loco 13. Difficilis autem regulæ hujus est applicatio, quod imprimis patet ex infinitis pene limitationibus, quas hic Doctores subjicere solent. BARBOSA in thes. loc. comm. Lib. II. cap. 35. Illæ difficultates plerumque ex eo oriuntur, quod parum folliciti effe soleant JCti, de ge-nuino formando conceptu similitudinis, & ea, quæ su-perius §. I. posita fuerunt, non probe distingvant. Quod si enim res quædam in essentialibus prædicatis sibi re-spondeant, satius & convenientius erit, ad commune aſſurgere principium, quam argumentum à simili du-cere. Et quamvis plerumque non fallant conclusiones, quæ his casibus eruuntur; ille tamen ratiocinandi mo-dus crassam principiorum ignorantiam prodit, & fo-solidius illi omnino agunt, qui doctrinæ fundamentum non in illis comparationibus querunt. Quod cum ab ipſis Glossatoribus animadversum fuerit, duplē simi-litudinem finixerunt, aliam *propriam*, aliam *impropriam*. Hanc appellarunt, quando simile plures haberet differen-tias

IN COMPARATIO ME DIVERSARUM RERUM. 7

tias quam concordantias: Illam, quando simile plures haberet concordantias, quam differentias. GLOSSA,  
in L. Julianus in vers. offerri ff. de actione emti & GOMEZ:  
ad §. in personam Inst. de action. num. 21.

§. III.

Solent quidem in similitudine orationis singula-  
rem vim atque elegantiam non pauci querere. Sed  
illi ingenii lusus melius relinquuntur scholis Rhetorum  
ac Poetarum, quam in Philosophorum & Jureconsul-  
torum doctrinas inferuntur. Plerumque enim mentes  
comparationibus illis inhærent, & raro ipsis principiis  
inquirendis operam dant. Inde ea nascitur difficultas,  
ut quem, paucioribus doctrinis queamus proficere,  
novis regulis novisque exemplis opus habeamus, fa-  
cile eo carituri apparatu, nisi nova nomina rem men-  
tirentur novam.

An in Ju-  
rispruden-  
tia simili-  
tudines ad-  
bibende.

§. IV.

Has similitudines Jura Romana frequentissime  
per particulam Quasi exprimunt. Hinc etiam de illa  
monenda ea erunt, quæ in antecedentibus §. §. genera-  
lius adduximus. Remque ut regulis & exemplis decla-  
remus, tria notabimus. Primo, certum est, Jurispruden-  
tiam romanam in appellationibus quibusdam similitudinem que-  
scoisse, eunque in finem particulam Quasi in determinandis illis  
rebus adhibuisse, que propriè ita nominari ac appellari potuissent  
vel debuissent. Ita dorem mulieris, Quasi Patrimonium mulie-  
ris dixit UPLIANUS L. 16. ff. de religiosis & sumptibus funerum,  
quum tamen proprio patrimonio appellari potuerit,  
imo appellatum fuerit ab ipso UPLIANO L. 3. §. 5. ff de  
minoribus viginti quinque annis, non obstante dominio  
maritali dotis: de quo non male judicat JUSTINIANUS

Uſus simi-  
litudinum  
imprimis  
particula  
Quasi in  
Jure Ro-  
mano.

in L. 30.

## 8 CAP. II. DE USU PARTICULÆ QUASI.

in L. 30. C. de jure dotium. Non enim, inquit, quod legum subtilitate transitus earum in patrimonium mariti videatur fieri, ideo rei veritas deleta vel confusa est. Servi Peculium PAULUS L. 47. ff de peculio, quasi patrimonium nominat, quum nihil vetet, quo minus simpliciter patrimonium appellari potuerit; imo etiam ita appellatum fuerit in L. 5. §. 3 ff de peculio. Peculium dictum est, quasi pusilla pecuniae, sive patrimonium pusillum. Dotem, quam serva servo dabat ULPIANUS L. 39. de jure dotum, quasi dotem appellat, ratione ductus, quam ab eodem I<sup>CTO</sup> L. 3. ff. h. t. repetitam legimus. Sed quid opus erat, hanc dotem quasi dotem nominare, cui appellatio dotis non male conveniebat, argum. L. 22. §. 13. solute matrimonio dos quemadmodum petatur.

§. V.

Alterum, quod ex Jurisprudentia Romana hoc loco annotandum esse censemus, eoredit: *Jus Romanum inventa aliquando leviori quadam similitudine eam consig<sup>z</sup> extenderi voluit, ut communicato ipso nomine rem rei compareret, temperamento unicè in particula QUASI retento.* Exempli loco sit peculium, quod dicimus *Quasi Castrense*. Nomen à castrensi & militari peculio peritum, an cum ipso privilegio natum fuerit, dubium non sine ratione videtur. IUSTINIANUS §. fin de militari testamento iura peculii castrensis tam ab anterioribus legibus, quam principalibus constitutionibus derivavit. In hoc TRIBONIANUM erroris manifestarium esse existimat MARCILIUS, ad hunc locum addens, nullum peculium *quasi castrense* ante Constantini M. & Theodosii Junioris & Leonis tempora fuisse: Ergo haud dubie quoque, ubi *quasi castrensis* peculii mentio in Digestis adscripta sit, eam

Secunda  
Regula.

Peculii  
Quasi Ca-  
strensis hi-  
storia.

## IN COMPARATIONE DIVERSARUM RERUM. 9

eam à Triboniano adscriptam esse. Idem pene affrui FRAN. BALDUINUS in *Justiniano Lib. III. p. 390.* Aliis vero observatum, jam ante Constantini M. tempora, peculii *quasi castrensis* vestigia occurtere, quorsum spectare videtur SCHULTINGO L. 52. §. 8 ff. pro *socio*, quo loco PAPINIANUS monet, si inter fratres sit initum voluntarium consortium, etiam stipendia & salario in commune redigi, quamvis filius emancipatus hæc non cogatur conferre. Sed vereor, ut in his verbis tam apertum vestigium peculii castrensis ac *quasi castrensis* conspiciatur, quam sibi deprehendisse videtur doctissimus Jureconsultus. Ni enim fallimur, stipendum & salario distingvi atque prius ad *castrense*, posterius ad *quasi castrense* peculium referri vult. Manet tamen res obscurissima. Nam vocabulum salarii quoque ad peculium militis referri potest, quod patet ex verbis PLIN. lib. 31. cap. 7. *sal honoribus militique interponitur salariis inde dictis.* Et concedamus tam antiqua Jura esse militiae togatae, gloria tamen inventa tam elegantis appellationis, nempe peculii *Quasi Castrensis* relinquenterit TRIBONIANO. Ceterum illa privilegia, quæ personis in dignitate constitutis ratione bonorum acquisitorum concessa fuerunt, jam in Jureconsultorum scriptis deprehendi obseruavit JAC. GOTTHOF. ad leg. 3. tit. de postulando Cod. Theod. Tom. I. p. 141. Quinam autem hoc privilegio per Imperatorum constitutiones donati fuerint, recensuit BALDUINUS l. cit. His demum accesserunt Clerici, quibus militiae nomen inter alia vel eo titulo arrisit, quod in colligendis stipendiis æqualia cum militibus obtinerent jura: conf. JANUS à COSTA in Comm. ad X. p. 10. Tandem JUSTINIANUS l. 7. Cod. de bon. qua lib.

B

ea,

10 CAP. II. DE USU PARTICULARÆ QUASI

ea, quæ donantur à Principe vel Augusta haberi ad similitudinem *Quasi Castrensis* jussit. Hæc abunde docent, quantum sibi illis comparationibus placuerint Legislatores Romani, qui facile eadem jura & privilegia concedere potuissent, haut opus habentes, ad comparationes illas & similitudines confugere, quæ non raro vanam Græcorum loquacitatem & ingenium lusibus assuetum produnt. *Conf. L. 14. C. de Advocatis diversorum judiciorum.*

§. VI.

*De Substitutione Quasi Pupillari.* Referenda huc quoque est substitutionio, quæ liberis mente captis ex constitutione Justin. *L. 9. C. de impub. & al. subst.* fieri poterat, quam alii exemplarem, alii quasi pupillarem appellare solent. Similitudo, quæ Imperatorem ad hanc sanctionem impulit, forsan in duplice querenda fuit fundamento. Nempe (1) furiosos cum pupillis, quibus testamentum facere haut permittebatur, comparavit. (2) Alterum comparationis principium in eo quæsivit, quod substitutione insinuerit, quando pupillus adoleverit: Ita etiam substitutionem *Quasi pupillarem cessare*, quando furiosi resipuerint §. 1. *Inst. de pupill. subst.* Sed quid his ambagibus opus fuit: poteratne prima & naturalis ratio hujus dispositionis allegari? Forte ita evitari potuissent lites recentiorum, qui adhuc disputant, an eadem lex applicari possit ad prodigos, surdos & mutos: An his casibus implorandus sit Princeps. *arg. l. 43. ff. de vulg. & pup. subst.* an pater illis quoque substituere possit, quam substitutionem, si placeat particula *Quasi*, appellare poterimus Substitutionem *Quasi-quasi-pupillarem*. Argumenta, quæ à simili ducta raro probant:

## IN COMPARATIONE DIVERSARUM RERUM. II

probant: cur veræ rationes latent. Sed hæc sunt ar-  
cana Jurisprudentiæ illius exemplaris sive quasianæ.

### §. VII.

Tertio Romana Jurisprudentia amat locutiones im-  
propriæ, quæ in naturali suo sensu minime accipi pos-  
sunt neque debent. Ita universitates, monasteria, civi-  
tates pro personis habentur. l. 53. §. 2. C. de Episc. & Cler. si denotata.  
*Locutiones  
improperie  
per parti-  
culam Qua*  
cap. in presentia de probat. l. 3. C. de jure Reipubl. Lege Ju-  
lia de vi privata damnatus quasi infamis perhibetur l. 2.  
ff. ad L. Jul. de vi priv. Is qui per litis contestationem vel  
denuntiationem adversarii coepit intelligere heredi-  
tatem occupatam ad se non pertinere, quasi prædo ap-  
pellatur L. 25. ff. de hered. petit. Peculum homini, qui na-  
scitur, crescit, decrescit, moritur, comparatur in l. 40. ff. de  
peculio. Tandem particula *Quasi* aliquando adhibetur ad  
demonstrandam falsam aliquam similitudinem, quod  
observamus in L. 5. C. de hereticis quo loco hæreticorum  
ecclesiæ *quasi* ecclesiæ nominantur. Et hæc de usu in com-  
parisonibus & similitudinibus particulæ *Quasi* sufficiant.

## CAPUT. III.

De

## USU PARTICULÆ QUASI IN SUPPLEN- DIS JURISPRUDENTIÆ ROMANÆ PRINCIPII.

### §. I.

Singularis prorsus ac frequens usus vocabuli *Quasi* in  
eo conspicitur, quod Romani Juris conditores ob-  
servata Juris angustia illius dispositioni novos & alios  
*Qua ande  
particula  
Quasi ad-  
bibita ad  
casus*

B 2

*supplendas lacunas ju-  
ris Romani.* casus subjecturi, abhorrentes à novis nominibus, quæ forte ordinem ab antiquo receptum paululum immutari. re nisi turbare potuissent, ad particulam *Quasi*, universalis instar medii configurerent, quo lacunas systematis sui supplere possent. Hoc tamen vitium non tam ipsarum legum, quam juris interpretum fuit, qui disputationibus & interpretationibus non clariorem, sed plerumque obscuriorem reddiderunt Jurisprudentiam. Primæ quidem & antiquissimæ Quiritum leges, impri-  
*Origo Qua-  
si Tutele.* mis plurimæ, quæ xii. Tabulis continebantur, gene-  
rales satis fuerunt, imò generalissimæ. Dabantur aliae, quæ primariò ad Personarum conditionem respicie-  
bant, quam Romani non tam ex juris naturalis prin-  
cipiis, quam ex speciali reipublicæ constitutione defini-  
ebant. Hæ quum conciliandæ & ad connexionem re-  
ducendæ essent, difficiliori ac subtiliori deductioni occa-  
sionem præbuerunt. Ita Decemviri Tabula V. statuerant:  
PATER FAMILIAS UTI LEGASSIT SUPER PECUNIAE TUTÆ  
LÆQUE SUÆ REI, ITA JUS ESTO. Ex his verbis non inepti  
interpretes originem tutelæ testamentariæ deduxerunt, quod luculentius docuit HUBERUS digress. Lib. 3.  
cap. 3. conf. DN. PRÆSIDIS Historia juris vol. 2. p. 192.  
Fundamentum igitur tutelæ testamentariæ erat patria  
potestas. L. i. ff de testam. tutela. Generaliter de patre-  
familias loquitur Lex xii. Tabb. Quum autem in eman-  
cipatos aut naturales ex concubina natos nulla esset  
patria potestas §. 6. Inst. quibus modis jus patriæ potest. soli  
restrinxerunt juris interpretes tutelam istam testamentariam ad solos liberos in patria potestate constitutos;  
quo conciliata fuit doctrina de testamentaria tutela  
cum emancipationis legibus. Huc respexisse videtur

POMPO-

POMPONIUS in l. 120. de V. S. verbis legis xii. Tabul. bis, ut legasset suæ rei, ita jus esto, latissima potestas tributa videtur, & heredis instituendi, & legata & libertates dandi, tutelas quoque constituendi: sed id interpretatione coangustatum est, vel legum, vel autoritate jura constituentium. Interim animadvententes Romani, haut iniquum esse imo naturali rationi convenire, ut parentes eandem facultatem constituendi tutores liberis emancipatis exercerent, eam jura quoque recentiora concederunt, adhibito illo temperamento, ut tutela a patre in potestate liberos habente constituta proprie testamentaria diceretur: altera autem liberis emancipatis, aut naturalibus pro *impropria* haberetur & instar tutelæ quasi testamentariæ esset l. 4. ff. de testam. tut. & l. 7. ff. de confirm. tute.

## §. II.

Vix facilior ac expeditior supplendi & conciliandi excogitari potuit modus, quem in infinitis penè locis tenuerunt JCti, qui a nulla re magis abhorrebant, quam ab impositione novorum nominum, quæ jure civili prodita non essent. l. 2. & 3. ff. de prescript. verb. Illum dicendi modum excusare forte voluit ULPIANUS lib. 30. ad Sabinum, quando inquit: *natura rerum conditum esse, ut plura sint negotia, quam vocabula l. 4. ff. de presc. verbis.* Ingenue de hac materia differuit JOH. MERCERIUS opinio- num lib. 1. cap. 15. p. 83. Tante autem, inquit, diversitatis, si quis rationem indiget, non video aliam reddi posse, quam quod pauciora verba sunt quam negotia, subtile autem ac spinosum dicendi genus fiat, eorum verborum novatione, quorum usus vulgaris communisq; non sit. In multis tamen & a multis ea & adhibita diligentia, ut nec verbum novaretur, quod nego-

*Occasio & causa quæ JCti os ad hunc usum particula Quasi com- moverunt.*

B 3

tium

tium faceret minus eruditis, nec commune adhiberetur, ne de sententia queri posset: sed apposta est dictio quasi, que prefixa verbo, non id significari, quod verbum sonet, aliquid tamen simile notat. Ceterum hic suspicio oriri posset, usum hujus particulæ ex Stoicorum schola irrepisse in Jurisprudentiam Romanam. Delectabantur hi Philosophi locutionibus a similitudine quadam petitis. Testis est SENECA lib. 5, cap. 13. de beneficiis; quædam, inquit, etiam si vera non sunt, propter similitudinem eodem vocabulo comprehensa sunt. Sic pyxidem & argenteam & auream dicimus. Sic illiteratum non ex toto rudem, sed ad literas altiores non perductum. Si qui male vestitum & pannosum vidit, nūdum se vidisse dicit. Quæ tamen quum aliquando nimium a veritate defleterent, per adjectionem vocabuli *Quasi* iterum in viam quodammodo reducta fuerunt. Risit Stoicos PLUTARCHUS in libro, cui nomen dedit, de solertia animalium. Taxat enim Philosophos, qui animalia ratione destituta perhibentes, de illorum actionibus ita judicant, ut nec detineri, nec irasci, nec metuere, nec adparari lusciniam, nec apem meminisse, sed quasi dicant metuere cervum, quasi irasci leonem, cur non etiam contendant, quasi videre, quasi audire, quasi vocem edere, quasi vivere bruta. Et certe est hæc dictio asylum ignorantiae: Nam qui ga uitur, nonnunquam id, quod non intelligit, intellexisse videri poterit.

## §. III.

*Exempla.**Quasi Tu-  
tela.*

Sed hæc obiter. Exempla rem ipsam clariorem reddent, quæ multa in jure nostro occurrunt, ea vero omnia hoc loco recensere vix operæ pretium erit, quum ex paucioribus exemplis de asserti veritate sufficienter constare possit. Tutelam Parentum in liberos

beros suos emancipatos JCti appellant tutelam *quasi legitimam*. Silebant enim de hac tutela leges: Interim rationi nihil erat convenientius, quam parenti committere tutelam filii si vel maximè emancipati: Ast leges non vocaverant parentes ad tutelam. Adeundi igitur JCti, qui suis ratiociniis ac similitudinibus inopiam legum vel sola particula *Quasi* reparare poterant. Quid itaque succurrit? Ex sententia XII. Tabb. Patroni tutores erant. Parens autem filii manumissi *Quasi* patronus erat. *I. i. ff. si quis a parent. man. l. 3. §. ult. ff. de legit. tut.* Nihil jam deerat, quam ut hæc parentum tutela *quasi legitima* diceretur, vel uti loquitur ULPIANUS *l. 3. §. 6. de legit. tut.* Pater vicem legitimi tutoris sustineret. Quæ subtilitates post Nov. nro. sunt superfluæ.

## §. IV.

In rem *actio* proprie ei competebat, qui aut jure gentium aut jure civili dominium acquisiverat *l. 23 ff. de rei vindicat.* Hæc adquisitio probanda *l. 20. pr. ff de adquir. de rer. dom.* alias rei vindicationi non datur locus. Sed *Quid dicatur Quasi Dominium: de Actione Publiciana.* hæc probatio difficillima erat. Interim durum erat, eo casu deficere actionem, si quis dominium suum docere non posset *§. 4. Inst. de action.* nam si rei possessionem amisisset, nullam in rem actionem habebat ad eam persequendam. Æquitas certè suadebat, ut is cui res titulo habili acquisita, in illius possessione defendetur. Supplevit hunc defectum Prætor novam dominii speciem iterum ope particulae *quasi* excogitando: Possessor enim præscripserat formulam, ut diceret, se *quasi* usucipisse, quod non usuciperit. Inde Doctores dominium illud *QUASI DOMINUM* vel *fictum Dominium appellare*

appellare consueverunt, sed uti nobis viderur non ad modum congruē, cum illud dominium plerumque sit verum, ad minimum ex circumstantiis præsumatur, & melius præsumptum sit dicendum. Dominii acquirendi modus est TRADITIO, per quam res a dante in accipientem transfertur. Hæc translatio ex principiis juris romani fieri tantum potest in rebus corporalibus, quæ & tradi & exhiberi possunt l. 8. ff de peculio l. 3. §. 1. ff de acquir. rer. dom. rerum incorporalium nulla credebatur esse traditio l. 43. §. 1. ff de acq. rerum dom. Interim cum jura, servitutes & similia in alium transferri possint, & res incorporales inhærent ac versentur circa res corporales §. 2. Inst. de rebus corp. & incorp. SENECA lit. 6. de benef. cap. 5 non absonum erat in translatione jurium quoque intervenire posse traditionem. Nam in rebus corporalibus etiam non propriè dominium sed res traditur, & ipsa traditio, quæ per exhibitionem, vel per signa, vel per demonstrationem siebat pro actuali & corporali traditione non agnoscit poterat: ne tamen principia semel adoptata turbarentur rerum incorporalium traditio appellata fuit quasi traditio.

§. V.

*De Quasi Possessione.* POSSESSIO ex conceptu Juris civilis romani ad solas res corporales pertinebat l. 2. ff de adquir. vel amitt. possess. Rationem PAULUS ad lib. 54. ad Edictum: Possessio, inquit appellata est (ut Labeo ait) à pedibus, quasi positio: quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insitit, quam Greci κατοχὴ dicunt. Hinc res corporales non possideri dicebantur l. 4. §. 27. ff de Usurp. & Usucap. sed cum res incorporales, jura, servitutes nobis eadem ratione, qua res corporales afferere, eorumque habendorum affectum

tum externis quoque signis prodere queamus, exten-  
dendus quoque erat possessionis conceptus ad res in-  
corporales, quæ extensio iterum facilime fieri pote-  
rat per particulam *quasi*. Inde enata est QUASI POSSES-  
SIO, quam non ineleganter definit THEOPHILUS *pr.*  
*inßt: de interdictis οἰωνέας πράγματος χρῆσιν*, eaque  
tantrum esse rerum incorporealium prohibetur *l. 10. ff. si*  
*servitus vindicit*. Et interdicta his casibus competentia  
*in l. 20. ff. de servitut.* veluti possessoria appellantur. Ce-  
terum nulla sufficiens subest ratio, cur possessio illa  
non pro vera possessione haberi debeat, imo in Jure  
nostro loca occurrunt, quibus jura simpliciter fine-  
ulla vocabuli *quasi* adjectione possideri dicuntur *l. 9. ff*  
*de heredit. petit. l. 4. ff uti possid.* USUCAPIO in rebus corpo-  
ralibus ex sententia Juris romani tantum obtinebat, *l.*  
*43. §. 1. ff de adquir. rer. dom.* Usucapere enim idem  
erat ac per usum & possessionem acquirere *l. 22. §. 2. ff ex*  
*quib. caus. maj.* Possessionem autem in servitutibus &  
aliis rebus incorporealibus non agnoscebant Jura roma-  
na. *l. 32. f. ff de servit. urb. præd.* Sed cum modo ostend-  
sum fuerit possessionis conceptum quoque cadere in  
servitutes & res incorporales, eam vero possessionem,  
ne quid antiquæ Jurisprudentiae principiis detraheretur,  
appellatam fuisse *quasi* possessionem, usucapio, quæ de-  
mum usu invehebatur servitutum & rerum incorpo-  
realium, QUASI USUCAPIO à Doctoribus quoque dicta fuit.  
Interim diu inhæserat antiquis principiis jurispruden-  
tia romana, nullam incorporealium rerum usucapio-  
nem admittens, lata in eum finem LEGE SCRIBONIA *l.*  
*4. §. ult. ff. de Usurp. & Usuc.* Qui rigor juris primo Præ-  
toris autoritate mitigatus *l. 10. ff si serv. vind.* postea per

C

Justi-

*De Quasi-  
Usucapione.*

Justinianum l. ult. C. de long. temp. prescript. sublatus fuit.

## §. VI.

*De Quasi ususfructu.* USUSFRUCTUS in veteri jurisprudentia definiebatur tantum in rebus consistere, quæ usu non pereunt. Erat enim *jus rebus alienis utendi fruendi salva rerum substantia l. i. ff de Usufr.* Eadem principia adhuc obtinuerunt CICERONIS temporibus, qui in Topicis ad TREBATIUM loquitur: non debet ea mulier, cui vir bonorum suorum usumfructum legavit cellis vinariis & oleariis plenis relictis putare, id ad se pertinere, usus enim non abusus legatus est. ALCIAT. Parerg. lib. 7. c. 2. Altius rem repetitii JUSTINIANUS §. 2. Inslit. de usufructu. l. 2. ff. de usufr. earum rerum & docuit res fungibles naturali ratione usumfructum non recipere. Hoc non obstante frequentissime res legabantur, quæ usu consumerentur, quo commotus fuit Senatus, ut, legato constitui posse omnium rerum, quæ essent in patrimonio usumfructum, concluserit. Viguisse hoc SCtum jam TIBERII temporibus post GALVANUM tr. de Usufr. cap. 3. p. 17. ostendit GER. NOODT de Usufr. lib. I. cap. 10. Minime vero naturali repugnabat rationi, usumfructum quoque in rebus fungibilibus permittere. Nam si vel maxime hoc casu dominium transiret in usufructuarium, necessitas tantudem restituendi ususfructus qualitatem integrum conservabat. Proinde vix opus fuisset illum rerum fungibilium usumfructum appellare QUASI USUMFRUCTUM, quam appellationem nequidem ex SCro descendere suspicatur GALVANUS l. cit. p. 17 potius JCtos ejus autores fuisse credit. Merentur verba ut hic legantur: Successerunt, inquit, Jurisconsulti, qui sicuti de custodiendis antique juris-

jurisprudentia principiis erant valde solliciti, ita senatus consultum prae dictum fuerunt interpretati, ut quam minimum fieri posset à veteri jure dissentiret. Itaque sic illud exposuerunt, ut ab eo pro rerum diversitate duplex usus fructus receperus esse videatur, quorum alterum appellarunt usumfructum ( nomine veteri retento ) alterum vero QUASI USUMFRUCTUM nominarunt, atq; illum in rebus, que non consumuntur, ipsum in iis, que consumuntur usu, habere locum tradiderunt.

## §. VII.

Triplicem OBLIGATIONUM fontem constituit CAJUS lib. 2. aureorum. Obligationes, inquit aut ex contractu memo Obligationum, aut ex maleficio, aut proprio quodam jure ex variis gationum causarum figuris l. 1. ff. de Obl. & Action. In primo & secundo nulla videtur latere obscuritas. Major difficultas in eo deprehenditur, quid per proprium jus, quid per varias causarum figuras intelligere voluerit. Id patet, eum indicare voluisse, quod præter contractus & delicta tertium adhuc detur obligationum principium, quod minimè definivit CAJUS in generali designatione acquiescens. Illud autem ad eos referendos esse actus, quos QUASI CONTRACTUS & QUASI DELICTA appellamus manifestum videtur partim, quia JUSTINIANUS §. 2. Instit. de Oblig. dicit obligationes esse aut ex contractu aut Quasi ex contractu aut ex maleficio, aut Quasi ex maleficio, partim quia ipse CAJUS l. 5. ff. eod. titulo, Quasi contractum & Quasi maleficium, vero contractui & vero delicto opposuit. Favet huic interpretationi maxime, quod CAJUS varias rerum figuras dixit, Quasi contractus autem & quasi maleficium res quodammodo figuratae sint, quod bene observavit MARCILIUS ad b. l.

C 2

nempe

Explicatio  
l. 1. ff. de  
Obl. & Ac-  
tion.

nempe propter factas illas rationes & conditiones, quas interpretes juris his casibus allegare solent. Nam quod per verba proprio jure & ex variis causarum figuris alii modi constituendæ obligationis innuantur, quam ex *quasi contractu* & *quasi delicto* descendentes, nonnulli J. C. torum defendere quidem voluerunt FELTMANN. de jure in re cap. 32. §. 2. VINNIUS ad §. 2. Instit. de Obl. & ipse CUCACIUS ad d. L. I. Sed cum entia præter necessitatem non sint multiplicanda, & illi ipsi casus, qui hic recenseri solent, nempe ex L. 12. L. 32. ff. de rebus cred. l. 66. de contr. indeb. ad principia facile reduci possint, quibus *quasi contractus* & *quasi delicta* innituntur, vix operæ pretium erit novam classem obligationum formare, quod pluribus ostendit B. DN. THOMASIUS differt. Lips. 3. §. 122. p. 215.

### §. VIII.

*Fundamen-* Igitur jam quærendum erit, cui fundamento ini-  
*tum Quasi* tantur *QUASI CONTRACTUS* & *QUASI DELICTA*. De illis  
*Contractu.* primo videbimus. Ad contractum requiritur con-  
 sensus verus, quod eriam naturalis ratio docet. Verus con-  
 sensus est vel *expressus* vel *tacitus*. Nulla inter illos essen-  
 tialis est differentia. Quoties enim mihi certissime de  
 alterius mente & consensu ex facto ejus constat, i. e.

*De Consen-* si facta ejus directo tendunt ad eum finem, qui certam  
*situ tacito.* conventionem respicit: Toties eum revera consentire  
 persuasis sum. Exempla præbet L. 4. §. 1. de pactis L. 6. §. 2.  
 L. 18. ff. de mandato L. 13. §. ult. locatt. L. 2. §. 1. de pactis conf.  
 B. DN. THOMASIUS cit. §. 129. His casibus ex vero contra-  
 Etu obligationem & actionem dari nemo forte dubitavit.

*De Obliga-* Interim non desunt exempla, quod obligari quis pos-  
*tione non* sentient, qui neque *expressè* neque *tacite* consentit, nec con-  
*consentien-* sentire  
*sis.*

sentire voluit aut potuit e. g. invititus *l. 2. ff. de cond. indeb.* pupillus, furiosus *§. 1. Inst. de obl. qua quasi ex contr.* Unde autem hæc obligatio oritur. Præsto sunt ICti Romani, qui respondent, obligatum *qua si contraxisse,* non in veritate, sed *præsumtive* aut *fictione* juris *L. 3. §. 3. Fictus Con-*  
*ff. quib. ex causis in possess. eatur.* Sed quid eo dictum vo- *sensu.*  
 lunt. Ita supplenda erat doctrina, quod obligatio ex con-  
 tractibus & delictis nasceretur, consensus ille fictus erat.  
 Fictus vero idem nobis pene est ac nullus. Alii malunt  
 appellare præsumptum, quasi nulla differentia inter  
 fictum & præsumptum consensum esset, quorum *bis*  
 verisimilitudine aliqua gaudet, alter autem sine omni  
 veritatis specie concipi potest. Re igitur penitus con-  
 siderata obligatio, quæ *qua si contractibus* adscribitur,  
 vel ex *vero consensu* vel ex *equitate* descendit. Præsum-  
 tio illa consensus mera fictio & commentum Jurecon-  
 sultorum Romanorum fuit, quo facile carere possu-  
 mus. conf. B. DN. TITIUS *in jure privato cap. 5 § 12.* AE-  
 quiras vero communibus juris naturalis principiis inni-  
 titur, inter quæ primum *Quasi* est, neminem cum al-  
 terius damno fieri debere locupletiorem. Conferan-  
 tur, quæ de hac materia egregiè & solide dicta leguntur in  
 JURE CONTROV. CIVILI *Lib. 2. tit. 14. qu. 2. p. 169.* Ceterum  
 jam facile percipere possumus, qua ratione ad hoc *qua-*  
*si contractuum* figmentum dilapsi fuerint ICti Romani.  
 Constat ex Historia juris jam primis romanæ reipubli-  
 cæ temporibus latas fuisse contractibus leges, quibus  
 datus erat conventionibus certus ordo certaque forma.  
 DIONYS. HALIC. *Antiq. rom. IV. p. 218.* Validæ hinc illæ tan-  
 tum obligationes, quæ ad illarum legum normam con-  
 tractæ erant. Conf. DN. PRÆSIDIS *Hist. jur. vol. 2. p. 49.* Ap-  
 pella

pellabant Romani secundum civitatis jura contrahere & fidem in negotiorum contractibus sancire. Pleraque illæ leges in XII. Tabulas relatæ sunt. V. EXC. DN. HEINECCII Antiquit. roman. Lib. 3. tit. 14. p. 69. Quum autem illæ contractuum formæ non omnem completerentur conventionum ambitum, quædam addiderunt Prætores unde obligationes prætorie natæ sunt. His ultimo loco accesserunt obligationes non tam ex conventione, quam ex generalibus æquitatis principiis deducendæ, quibus cum certum deesset nomen & principium in jure civili fundatum, placuit à similitudine contractuum & delictorum illa petere. Certe ipse JUSTINIANUS §. 2. Inst. de obligat. quasi ex contractu, rationem redditurus, cur tutela rerumque communio ad obligationes quasi ex contractu oriundas fuerit relata, non aliam prodit, quam quia neque ex contractu, neque maleficio descendant, quasi ex contractu provenire. Quod penne idem est ac petere principium,

## §. IX.

Fundamen-  
ta specialia  
Quasi-Con-  
tractuum.

Negotiorū  
gestionis.

Tutelle.

Commu-  
nionis.

Sed paucis dispiciamus, quænam sint vera fundamenta negotiorum, quas ex quasi contractu oriri dixerunt JCTI ROMANI. NEGOTIORUM GESTOR creditur, contraxisse cum eo, cuius negotia gessit. Inde fundatum obligationis desumitur, quod tamen rectius querendum esset in factō gestoris, & collata in Dominum utilitate. Idem dici poterit de obligatione in ADMINISTRATIONE TUTELÆ, ad quam demonstrandum non opus erat fictione consensus, sufficientibus modo allatis principiis ad evincendam obligationem, accedente adhuc lege publica, quæ Tutoris munera definiebat. In HEREDITATIS & RERUM COMMUNIONE vix opera

operæ pretium erat obligationem quasi ex contractu derivare L. 31. & seq. ff. pro socio L. 46. ff. de Obligat. Nam ipsa communionis natura actionem communis dividendo & familiæ excusandæ præbet circa fictionem conventionis cuiusdam, cum naturalius nihil sit, quam rem communem dividendam esse pro æquitate juris, quæ in re communis deprehenditur arg. l. 46. ff. de Obl. & Ad. HEREDITATEM ADIENS eo ipso, quo adit hereditatem agnoscit tacite voluntatem antecessoris, illique se submittit; nihil autem naturali rationi est convenientius, quam ut is, qui vult antecedens velit etiam consequens. conf. DONEL de jure civili lib. XV. cap. 14. Crassissima denique fictio est quæ in SOLUTIONE INDEBITI a JCTis formata fuit, quasi mutuum fuisset contractum §. 6. Inst. de obl. quasi ex contractu. Restitutionem enim indebitis solutionis luti imperat lex naturalis, quæ læsionem alterius prohibet, neminemque alterius damno locupletiorem fieri permittit. Et hæc de speciebus obligationum, quæ ex quasi contractu nasci Jure Romano dicuntur. conf. dicta superiori paragrapgo octavo.

## §. X.

Ad QUASI DELICTA progredimur, quæ a veris delictis distinguntur. Hæc enim ex dolo, illa ex culpa proficiisci perhibentur. v. tot. tit. Inst. de obligat. quæ quasi ex delicto nasc. Hanc distinctionem non juris civilis tantum, verum etiam juris gentium esse censuit B. DN. TITIUS in jure privato L. I. cap. XIV. §. II. p. 139. Sed si rem accuratius intueamur, non optime procedit illa oppositio, quæ inter verum & quasi delictum fit. Id enim, quod Romanus Quasi Delictum appellat, non est species Veri Delicti. Duplici enim ratione delinquimus & dolo & culpa.

In

Adiutoris  
HereditatisDe Quasi  
Delictis.An Quasi  
Delicta non  
sunt vera  
Delicta?

In utroque in officia, quæ incumbunt, impingitur. Hinc actiones illæ, quæ in Quasi Delictis observantur, imputari & puniri possunt. Ipsa enim imperitia, in rebus quas nosse debes, & negligentia in negotiis, quæ cum circumspectione tractanda erant, delicti naturam ingreditur, quod imprimis exemplo quasi delictorum in Jure Romano adductorum patet. Ita JUSTINIANUS §. I. Inslit. b. t. de Judice litem suam faciente sentit, quod utique peccasse aliquid intelligatur. Præsupponunt enim leges crassissimam imperitiam, quando judex in causa non dubia neque oratorum fraudibus vexata male pronuntiat. Hanc judicis imperitiam non dubitat dolo accensere GAIL. Lib. I. Obser. 153. n. 3. Habitatores coenaculorum sive domini sive inquilini ob *dejecta* vel *effusa* a quoconque tenebantur. Rationem reddit L. I. in princ. §. 4. ff. de *bis qui dejet.* vel *effud.* quia negligentes homines in suis ædibus habitare permiserant. Accedebant frequentia Prætorum edicta contra has periculosisssimas dejectiones, quas non ineleganter descripsit JUVEN. Satyra 3.

*Respice nunc alia, ac diversa pericula noctis;  
Quod spatium tectis sublimibus, unde cerebrum  
Testa ferit, quoties rimosa & curata fenesbris  
Vasa cadunt, quanta percussum pondere signent  
Et ledant silicem. Possis ignavus haberi  
Et subiti casus improvidus, ad coenam si  
Intestatus eat: adeo tot facta, quot ista  
Nocte patent vigiles te prætereunte fenestra.*

Manifestior delicti qualitas est in SUSPENSO vel POSITO, de quo jam variis modis Romæ cautum erat, ne prætereuntibus noceri possit L. 5. §. 5. ff. de Obligat. L. 5. §. 4.  
*de bis*

de his qui effud. aut dejec. Hoc enim casu, antequam  
damnum datum erat, actio popularis ad poenam  
decem aureorum dabatur: Unde patet, jam eum de-  
liquisse, qui aliquid supra eum locum, quo vulgo iter  
fit suspensum vel positum haberet, cuius casu alicui no-  
ceri posset. Ultimo actio poenalis adversus nautas,  
capones, stabularios concedebatur, si damnum aut  
furtum maleficium eorum, quorum opera navem aut  
stabulum exercent, datum fuisset. Non enim solum  
hoc hominum genus male solebat apud Romanos au-  
dire, teste HORATIO Satyra 5. Lib. 1.

Inde forum Appi,

*Difffertum nautis cauponibus atque malignis,*  
verum etiam pro delicto illis imputabatur, quod op-  
era malorum hominum uterentur. L. 5. §. ult. ff de Obl.  
& Act. § ult. Inſtit. de obligation. qua quasi ex delicto nasc.  
Quæ certe ex utilitate publica ita fuerunt constituta.

### §. XI.

Restat, ut quoque videamus, an particulæ hu- Uſus parti-  
culæ Quasi  
in Actioni-  
bus.  
jus fuerit etiam uſus circa ACTIONES, qui sane non diu  
quærendus, sed æque in proclivi est. Ex jure pig-  
noris datur ACTIO SERVIANA, quæ primum à Praetore,  
non vero à SERVO Sulpitio cuius prætura non ur-  
bana sed de peculatu fuit, CICERO pro Murina c. 20. in-  
troducta, & locatori prædii rustici adversus colonum De Actione  
Quasi Ser-  
viana.  
& quemcunque possessorem rerum pro mercede pig-  
nori obligatarum ad res illas persequendas, data fuit,  
deficiente jure civili, quod in casu pignoris nuda con-  
ventione constituti, nullam actionem prodiderat.  
Jus illud jam antiquis moribus Romæ obtinuerat.

D

Moris

Moris enim erat non solvente inquilino pensionem, aperiri ædes & describi à publicis officiis res omnes & mancipia, quæ in eas intulisset l. 56. ff locati conducti, ac deinde ab eisdem officiis obsignari, ac præcludi ostium ædium clauistro adhibito vel conseqto. cu-  
JAC. Obsrv. Lib. XVII. cap. 30. NOODT. Lib. II. Obs. c. 8. Sed cum hæc non sine insigni molestia fierent, concessa fuit a Prætore hæc actio l. 17. §. 2. ff. de Pactis l. 23. C. de pignor. Ea successu temporis ad omnem casum pignoris & hypothecæ interpretatione extensa. §. 7. Inßit. de action. cum appellatio deficeret QUASI SERVIANA dicta fuit, par i ratione, qua in jure INTERDICTUM QUASI SALVIANUM nominatur, quod omni creditori hypothecario adversus debitorem ad possessionem pignoris adipiscendam, conceditur, cum SALVIANUM INTERDICTUM

*De Interdi-  
cto Salviano* primo constitutum fuerit, ut locator prædiū rustici per sequeretur possessionem rerum coloni, quas is pro mercedibus fundi pignori futuras pepigisset §. 3. Inßit. de *& Quasi  
Salviano.* interd. cuius interdicti num Autor fuerit SALVUS JULIANUS edicti perpetui compilator, an alias ex Salvia gente, dubium videtur BYNCKERSHOECK. Lib. I. Obsrv. c. 24. add.

*Particula  
Quasi de-  
notat sepi-  
us Actiones  
utiles.* Acta Eruditorum Lips. anno 1716. Jun. Porro frequenter adhuc vocabuli nostri usus deprehenditur in designandis actionibus utilibus, quod jam observatum fuit BRISS. de Verbor. Signif. sub voce Quasi. POMPONIUS in l. 70. ff de rei vindic. mentionem facit actionis Quasi Pu- blicane. PAULUS in l. 13. ff. si quid in fraudem Patroni, alienationem in fraudem adoptati factam quasi per Calvisianam vel Farianam actionem revocandam docet. Utilem actionem Quasi institoriam dandam dixit PAPINIANUS l.

10. §. 5.

10. §. 5. ff. mandati l. i. §. 25. ff. de action. empti. Quasi  
damni injuria actio pro utili Aquiliæ actione dicitur  
in l. 27. ff de procurator. Utilis actio damni injuria quasi  
ex Lege Aquilia l. si. ff de furt. Sic & utilem actionem  
Quasi tutela l. 52. § 1. ff de peculio. v. BRISSON. l. cit.  
Ratio autem hujus appellationis non altius erit re-  
petenda: Nam cum multæ actiones non ex ipsis  
legum verbis producerentur, illæ quæ ob paritatem  
rationis vel aliam similitudinem dicerentur, utilium  
actionum appellatione veniebant, accommodarique,  
potius quam dari dicebantur l. i C. de inoffic. donat. l.  
24. ff de pignor. act. ad quod exprimendum, non inep-  
te vocabulum Quasi adhibebatur. Denique singula-  
ris est hujus particulæ adjectio facta accusationi CRI-  
MINIS SUSPECTI, quam ULPIANUS l. i. §. 6. ff de susp. tu-  
tor. & JUSTINIANUS §. 3. Inst. eod. tit. QUASI PUBLICAM  
appellarunt, quia omnibus patet. Alioquin ex Juris  
Romani principiis vix dici poterat publica. Nam ne-  
que ex judiciorum publicorum legibus descendebat  
l. i. ff. de publ. jud. neque semper legitimum desidera-  
bat accusatorem l. 3. §. 4. ff de susp. tutor. neque accusa-  
tor, qui ab illa accusatione desistebet, pœna Sena-  
tusCti Turpilliani tenebatur l. i. §. 11. ad Senatusc. Turpill.  
Male igitur & sine fundamento SAM. PETITUS Comment.  
in leges atticas p. 494 suspicatur transpositis vocibus  
rescribendum esse: Et sciendum est, si qua publicam esse  
banc actionem, existimans hanc actionem revera fuiss-  
se publicam, Ita quoque vix excusandus est THEO-  
PHILUS, qui in paraphrasi quoque particulam Quasi  
omisit. Alia autem prorsus est quæstio, annon hæc

accusatio, si a fori Romani forma abstrahamus publica potuerit appellari? Qnod, si publicæ rei utilitatem cogitemus, quæ officia tutorum curatorumve introduxit, afferendum omnino erit. Sed ea huc non pertinent.

## CAPUT IV.

De

USU PARTICULÆ QUASI IN FICTI-  
NIBUS JURIS.

## §. I.

*In Jure Ro-  
mano dan-  
tur Fictio-  
nes.*

Neminem qui vel leviter Jurisprudentiam Romanam inspexit, latere potest, in ea multas proponi fictiones, in quibus eruendis non pauci recentiorum JCtorum multum operæ impenderunt. Inter illos plures eo sunt progressi, ut pene omnia Juris Romani principia ad fictiones reducere amaverint, subodorati statim fictionem, si modo aliqua particula vel verbum similitudinem inferens, *veluti, ac-  
si, videtur, intelligitur &c.* adjectum legatur. In quo figmenti detegendi studio sibi nimium tribuisse, nobis videntur, quod, ni fallimur, in antecedentibus capitibus sufficienter a nobis declaratum esse persuasi sumus. Qui enim quamcunque similitudinem aut comparationem occasione occurrentis rationis deciden- di institutam pro fictione habuerit, facile earum numerum augere, imo infinitum reddere poterit, in quo certe peccavit JCtus alias non vulgaris doctrinæ DADINUS ALTESERRA tractatibus *septem de fictionibus*.

Juris

*Juris*, publicatis *Parisis* 1659. qui penè vix legem inspississe videtur, in qua ipsi non occurreret *Juris fictio*. Quem excessum uti non laudare, ita vix argumentias illorum capere possumus, qui *Juris romani principia* ad omnes fictionum expertem simplicitatem revocare tentant, & ab affectato hoc fingendi studio Legislatores Romanos pronunciant liberos.

## §. II.

FICTIONEM JURIS optime definivit. B. TITIUS in *Jure privato Lib. i. cap. 9.* quod sit *assumptio falsi pro vero scienter & aperte facta*, mediante qua, *ultra aliqua legis dispositio* proponitur. Idem in dissertatione, quam de fictionum romanorum natura & inconcinnitate *Lipsiae* 1694. conscripsit, solide in harum fictionum fundamenta inquisivit, oppugnatus posthac à nonnullis, qui forte, si status contraversiae ad mentem *JCTri Lipsiensis* ritè formetur, exiguum ni plane nullum dissensum reprehendere possent. Existere tales fictiones nemo facile negabit, quamvis non omnes huc referri debeat, quas fictionum amatores recensere solent. Debentur illæ partim juri honorario, partim interpretationi *ICTorum*. Multa enim ab utrisque Jurisprudentia romana accepit. Jus *Prætorium* descriptis PAPINIANUS *Lib. 2. Definit.* quod *Prætores* introduxerunt, adjuvandi, vel supplendi vel corrigendi *Juris civilis* gratia propter utilitatem publicam. *l. 7. ff. de Justitia & Jure*, illudque MARCIANUS *Lib. I. Institut.* vivam vocem *Juris civilis* appellavit. Proprie tamen leges haut ferebant *Prætores*, neque Jus constitue-

D 3 bant,

bant, sed partim edicendo, partim jurisdictionem exercendo multa principia in Jus Romanum invehabant, quæ Jus Civile & corrigebant & supplebant. Magna quoque JCtorum in Republica autoritas, quorum opiniones, sententiae, disputationes per omnem civitatem late dispergebantur, qui quoque non sine superstitione, multis exegitatis subtilitatibus antiquarum legum sensum conservare studuerunt, autores inde juris consuetudinarii, quod in foro primum obtinebat locum & in ipsa Prætorum edicta sensim recipiebatur, teste CICERONE de invent. Consuetudinis jus esse putatur, id quod voluntate omnium sine lege retuſtas comprobavit. In ea autem jura sunt quedam ipsa jam certa propter retuſtatem, quo in genere & alia sunt multa, & eorum maxima pars, que Prætores edicere consueverunt. Neque id mirum. Nam & ipsi Prætores plerumque erant JCti sententiis scholarum earumq; disputationibus imbuti; aut ad minimum à concilio & suffragiis JCtorum dependebant. Proinde non longius quærendæ rationes erunt, cur JCtorum doctrinæ cum jure Prætorio conspirare potuerint. Ceterum & illi multum falli nobis videntur, qui jus honorarium in meritis edictis Prætorum & Magistratum quærere volunt, cum & sensim & indeprehenso modo opiniones Prætorum & Magistratum per usum & observatiā in jure dicendo declaratæ, singularia juris principia introducere potuerint. Quare vix operæ pretium erit, præsenti quæſtioni diutius inhærere.

## §. III.

Termini  
Dissertati-

Neque nostrum jam institutum fert ea, quæ de illarum

illarum fictionum natura ac conditione dici possent, nisi in medium proferre, imprimis cum & jam ab aliis cantur.  
 nobis hic sit otium factum. Nam quantum ad præ-sens institutum facit, ultra usum particulæ Quasi non libet ascendere, quam ad dirigendas illas fictio-nes frequenter adhibitat, ut apprime rei conveni-ens vocabulum observamus. Nota est FICTIO LE-GIS CORNELIAE, quam exprimit ULPIANUS l. 18. ff. de ca-pitis & postlim. qui reversus non est ab hostibus QUASI Cornelie. *Fictio Legis Cornelie.*  
 tum deceffisse videtur, cum captus est. Consentit JUSTI-NIANUS §. 2. Inst. quibus modis jus patr. pot. sol. Si vero ibi decefferit, exinde ex quo captus est pater, filius sui juris fuisse VIDETUR. Clarissime illi textus de fictione loquuntur. Et quamvis ea juri prætorio non sit adscribenda: parum certe interest. Nam & illi, qui legum erant auctores, his fictionibus uti potuerunt, ut faciliorem legis sanctionem redderent. Opponebatur hæc fictio fictioni, qui enim captivi in servitutem redigebantur, omnia jura amittabant, ac velut mortui intelligebantur l. 12. §. 1. seqq. ff. de captiv. & postlim. L. 209. ff. de reg. juris. Ex eodem principio illa profluxit conclusio, quod liberi a pa-rentibus captiuis procreati, Quasi sine patre nati spurii dicterentur, si patre mortuo cum marre sola rever-terentur l. 26. ff. b. t. proinde etiam ab hereditate paterna excludebantur l. 1. C. de postliminio reversis & redemptis. Unde forte mirari possemus in ipsis Imperatorum rescriptis tantum fictionum studium ob-servari: Sed quem latet, pleraque scripta a JCis ve-nes in Im-terem Jurisprudentiam affectantibus fuisse concepta l. 4. peratorum C. de contrab. & committi. sfp. v. DN. PRÆS. Histor. juris rom.

*rescriptis rom. p. 1. lib. 1. Sect 3. §. 6. lit. e.* Par ratio in FICTIONE  
*occurunt. POSTLIMINII, quæ captum ad pristinos limites reversum*  
*in omnia jura restituebat, AC SI captus non esset ab*  
*hostibus l.5. ff de captis ALTESERRA trat. 5. cap. 1. Porro*  
*palpabilis admodum fictio fuit furoris in testamento*  
*Fictio Post-liminii. inofficio, quem legimus in l.36. ff de legat. 3. : quia*  
*crederetur QVASI furiosus testamentum facere non potuisse.*  
*Hæc excogitata fuisse à JCtis, ut lex XII. Tabl. ceu*  
*Fictio furoris in Testamento inofficio. fundamentum reipublicæ inconcussum maneret in suo*  
*vigore, sed eleganti artificio mitigaretur docuit CL-*  
*VANDE WATER Obscr. jur. roman. lib. 1. cap. XI. p. 59.*  
*Liberrima enim Lege XII. Tabul. testandi facultas Pa-*  
*tribusfamilias fuit concessa, sic ut liberos præterire, ex-*  
*exhæredare aliasque extraneos instituere impune li-*  
*ceret, quod quidem in dubium vocare volui GALVA-*  
*NUS de usuf. cap. 8. n. 13. sed sufficientibus destitutus ra-*  
*tionibus. Tam infinitæ exhæredandæ libidini obviam-*  
*ire tentaverunt primo JCri fingendo commune ali-*  
*quod liberorum cum parentibus dominium. Sed cum*  
*hæc fictio ad reprimendum profusam testandi libertatem,*  
*neq; centumviralis jndicij autori as, cui hereditariæ*  
*controversiae quandoque submittebantur, suffice-*  
*rent, inventus fuit ille color, ac si sanam mentem non*  
*habuisset testator in liberos iniquus HUBER Eunom. Rom.*  
*ad l. 2. ff. de inoff. test. pag. 242. In his exemplis hoc loco*  
*acquiescimus. Plura adduci possent de fictione in adoptio-*  
*ne emanicipatione, legitimatione, retrotractionibus, ac-*  
*ceptilatione, actione rescissoria, hereditatibus, agna-*  
*tione & similibus, sed cum hæc ab aliis jam ad nauseam*  
*usque proposita & excusa sint, ab illorum recensione*  
*merito abstinemus.*

§. IV.

## §. IV.

Varia autem hæ fictiones Juris romani experta *Excusantur*  
 sunt judicia. Nimis quidem severi judices illi nobis *tur Romana-*  
*videntur*, qui indistinctè omnes illas fictiones, vel *ni ob illas*  
*otiosorum Legislatorum deliria*, vel infidiosas in *fictions*.  
 plebem machinationes esse tradunt. Inter illas fu-  
 erunt certe, quas suadere necessitas & utilitas publica  
 poterat. Huc referimus SERVITUTEM POENÆ, quo  
 commento LEGI VALERIÆ & PORCIÆ, ne ulli Magistra-  
 tus vel *Judices in caput civis Romani injussu populi animad-*  
*vertere possent*, obviam procedebatur. Pari ratione  
 aqua & igni interdicendo, improbi Cives in exi-  
 lium abire cogebantur. Fictio DOMINII LITIS Pro-  
 curatores in forum admittebat, quos haec tenus Juris  
 Civilis subtilitas & actionum formulæ multorum  
 cum injuria à foro repulerant. Quæ quidem omnia,  
 si in se & generaliter consideres, supervacanea & ine-  
 pta videri poterant, si vero cum statu reipublicæ  
 romanæ conferas, benigniorem Te forte inveni-  
 ent judicem.

## §. V.

Neque tamen inficiamur, aliquando illiberale  
 prorsus hoc fingendi studium apud veteres JCtos & *Fictiones*  
*JCtorum*  
 Magistratus fuisse, adeo ut Jurisprudentia illorum *quandoque*  
 fere COMMENTITIA appellari potuerit, verbis, quæ *supervaca-*  
*apud JUL. PAULUM l. 20. ff. de pœnis legimus*, forte alio *nea.*  
 in sensu adhibitis, prout egregie docuit literatissi-  
 mus JCtus WÆCHTLER. in Actis Erudit. mense Dec. 1714.  
 p. 555. Vituperanda omnino hæc fingendi libido,  
 quæ adhuc sub Imperatoribus, JCtorum ingenia  
 abripuit. Hi enim fictiones simplicissimis rerum

E

ne-

negotiis intulerunt, frequenter particula *QUASI* abutentes. Inde innumeræ subtilitates enatæ, quæ gravissimis difficultatibus Jurisprudentiam implicuerunt. Succurrit jam *L. 11. §. 14. ff de leg. 3.* ubi causus ab *ULPLANO* proponitur. Erat alicui fideicommissum relictum, si morte patris sui juris fuerit effectus. Ita duæ videbantur adjectæ conditiones, altera ut filius sui juris efficiatur; altera ut pater moriatur. Utique conditioni parendum erat *L. 5. ff. de condit. insit.* Sed pater filium emancipaverat, isque sui juris siebat. Quarebatur igitur, an filius, qui emancipatus, ejus vero pater non mortuus erat, fideicommissum capere posset? Respondet *JCTUS*, non videri defecisse conditionem; hinc accedente patris morte, ad fidei commissum admittendum esse *QUASI extante conditione*. Sed quid opus erat hoc loco fingere extitisse conditionem, quum haec verba citra fictionem benigniore recipiant interpretationem: ad mentem Testatoris responsum erat, qui per filii emancipationem factum omnino erat: nam quod de morte patris verba adjecerit, factum forte cum communiter emancipationis jura per patris mortem acquirantur. In vulgari sermone autem id, quod plerumque fieri solet, attendimus. Hinc non miramur, quod simpliciorem decidendi rationem amplexus fuerit *ULP. in l. 15. ff. quando dies leg. ced. & l. 22. in princ. ff ad S. C. Trebell.* Conferatur *AVERRANIUS in Interpret. Juris Lib. 11. cap. 21. p. 570.* quo loco multa de usu particularæ *Quasi* doctissimus *JCTUS Pisanus* disseruit.

§. VI.

## §. VI.

Sed ad finem dissertationis nostræ properandum *Finis dis-*  
est, neque enim omnia loca Juris nostri recitare *sertatione*  
vacat, in quibus vocabulum *Quasi* occurrit, neque *imponitur*.  
in fictionum Juris romani amplissimum campum  
nos ulterius immittere placet. Nobis enim suffi-  
ciat de particulæ *Quasi* usu & significatione aliquan-  
to distinctius differuisse. Exempla quoque ex reli-  
quis juris privati æque ac publici disciplinis adduci <sup>Quedam</sup> *ex hodiern-*  
possent, si id institutum pateretur. Unum addi- *na Juris-*  
mus etiam recentiores JCtos usum particulæ nostræ prudentia  
sibi ita familiarem reddidisse, ut quandoque in ab- *adduntur.*  
usum degeneret. Ita e. g. separationem à paterna  
œconomia nonnulli ad imitationem romanæ Juris-  
prudentiæ appellarunt **QUASI E M A N C I P A T I O N E M**,  
cum rectius pro emancipationis specie non haben-  
da sit *v. B. Dn. THOMASIUM in notis ad Instit. b. t.* Ne-  
que desunt in jure hodierno moribusque nostris  
fictiones, quæ ipsas leges non raro circumveniunt.  
Non male huc forsitan refertur *Venditio Geradæ*, quæ  
in Saxonia à muliere viro solet fieri, quæ plerum-  
que in fictitium contractum abit, reclamantibus  
quidem legibus *v. SCHILTER Exercit. 36. §. 192.*


*p. 363.* Ita semper eadem agitur  
fabula.

Tantum.

COROL-

## COROLLARIA.

1. *Jus Naturæ non amat fictiones: quamvis Doctores juris naturalis multa fingere soleant.*
2. *Vix datur jus aliquod particulare, in quo principia omnia bene cohærent: & qui illorum harmoniam operose demonstrare volunt, ad operosas plerumque dilabuntur fictiones.*
3. *Consensus præsumptus impropriæ dicitur consensus.*
4. *Consensus factus & præsumptus differunt.*
5. *Vulgaris doctrina de corpore delicti in jurisprudentia criminali multis subtilibus oneratur figuris.*
6. *In crimine sodomiae probatio immisionis semenis non absolute necessaria.*
7. *Actiones juris romani contra judicem litem suam facientes parum accommodatae sunt moribus hodiernis.*



Frankfurt a.O., Diss., 1728-29

ULB Halle  
004 327 454

3



sb.





DISSE<sup>5</sup>RTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
SIGNIFICATIONE  
ET USU PARTICULÆ  
QVASI IN JURE  
ROMANO, 1728, 4  
QUAM  
PRÆSIDE  
CHRISTIANO GODOFREDO  
HOFFMANNO,  
POTENTISS. BORUSS. REGIS CONSIL. INTIMO,  
ET FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIO  
h. t. DECANO,  
IN AUDITORIO FCTORUM  
d. XI. Dec. M DCC XXVIII.  
PRO  
LICENTIA SUMMOS IN UTROq; JURE HONORES  
ADIPISCENDI  
Publico Eruditorum Examini  
H. L. Q. C.  
exponit  
AUTOR

KENFRIED  
UNIVERS  
ZVHALIE

JOHANNES HÜBNERUS,  
Merseburgensis.

Transferti ad Viadrum, Literis TOBIÆ Schwarß.